

¶ VII ¶

NUNTII MARIAE POSII

BRANCACIANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTI

I N

FERDINANDI III

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS

O R T U M

E L E G I A I.



*Nunc mibi victrices, Erato, da nectere lauros,
Nunc niveo auratam pollice tange lyram.*

*Major Apollineus se in nobis extulit ardor,
Major & in nostra perstrepit aure sonus.*

A 4

Felin

Felix aeterni dicendus PRINCIPIS ortus. 5

Non humile ex humili carmine surgat opus,

Ante tamen puris lustrentur pectora lymphis,

Sive tuis, Helicon, Maenale sive tuis.

Non temere: viden' ut toto jam noxia caelo

Cedunt insueta sidera mota vice? 10

Sanetaque tercentum late delubra per urbem

Excipiunt populi vota, precesque boni.

At vaga laetitia auratis per compita pennis

Chalcidica plausu ludit in urbe novo.

Nec mora: caeruleis ales subiecta quadrigis 15

Haud segnis terras pervolat Hesperias,

Fama praedit, volucrique praedit praenuntia cursu

Parthenope, aequoreos docta secare sinus.

Quam circum Clytoe, & forma pulcherrima Cydne,

Atque Hyale nitidis conspicienda comis. 20

Cumque bis una Ephyre, Nepetia, Phyllodoceque,

Voltturnique Opis maxima cura patris.

Ipse

*Ipse etiam senior fluvio SEBETHUS amoeno
(Velabat fusas roscida arundo comas.)*

*Ut tum forte domus volvebat pectorē sortes 25
AUGUSTAE, haec multo numine dicta dabit:*

*Lucifer aetherio quid non praeverteris igne,
Nec reseras pulcrum, nocte abeunte, diem?*

*Nascere magne PUER, votis procede secundis:
Omina natalis dextera spondet avis. 30*

*Haud frustra video caelo properare Booten:
Regius an PUER bunc adproperare jubet?*

*Salve, magne PUER, servat jam debita Siren
Regna tibi, imperio facta superba PATRIS.*

*Firmior at postquam vires adjunxerit aetas, 35
Parta vides titulis barbara sceptrā tuis.*

*Testis erit tellus praetularis Thracia factis,
Testis & Odrysii litora curva maris.*

*Cum tristes Hebrus perfusus sanguine ripas
Millia moventi corpora volvet aqua. 40*

Cum-

*Cumque ferae pubis caesos spectabit acervos,
Prostratosque equites, captaque signa ducum.*

*Haud illi quisquam bello certaverit Heros
(Sic rutilas spisso Mars rotat igne comas)*

*Seu spumantis equi duris premet ora lupatis, 45
Seu libet in dubium vertere signa fretum,*

*Ite, agite: ad laetas volitat victoria puppes,
Et sua velivolo parta tropaea mari.*

*Ante oculos captique duces, captivaque moerent
Oppida: stat vincitum vulgus inerme manus. 50*

*Adspice jam molles Indi, jam cultor Amani
Palladium ramum, certaque verba ferunt.*

*Versae illis bastae, vacuae versaeque pharetræ,
Ense caret nudum, veste fluente, latus.*

*Quid furor increpitas? albis clementia vittis 55
Jam PUERI cunas officiosa forvet.*

*Ipsa etiam ad cunas, picto circumdata peplo,
Visa Thernis roseo membra levare sinu.*

Visa

*Visa mibi & certis cecinisse oracula rebus,
Sed majora meum numen obire vetant.* 55

*Dixit, & umbrifero laetus se condidit alveo;
Cum subito laeva fulsit ab igne polus.*

*Haec, FERNANDE, tibi nebant tum candida Parcae
Stamina, non ulla contemeranda die.*

*Majoresque tibi titulos, majusque canebant 60
Stare decus, dextra fata voluta colo.*

*At tu, fauste dies, seros celebrande per annos,
Aeternum clara luce serenus eas.*



(XIII)
E J U S D E M
I N A N N U U M
F E R D I N A N D I I I I
U T R I U S Q U E S I C L I A E R E G I S
N A T A L E M D I E M
E L E G I A I I .



XPECTATA mibi roſeo jam surgit Olympo
Aurea lux: fausto vota iteranda die.
Annuus augustam REGIS Natalis ad aram
Nos revocat: lingua candida turba fave.
Spar-

Sparge puer tenues aurata ex pyxide odores, 5

Quaeque procul sollers munera mittit Arabs.

Plurima conceptis adsint donaria votis,

Et cadat ad sacras hostia caesa fores.

Quisquis ades, bona verba, & laeto gaudia plausu

Adfer, ab auspiciis quae bona firmet avis. 10

Ergo agite, o juvenes, praevertite vota precesque,

Publica res ut stet PRINCIPIS arte boni.

Vosque adeo celebrate diem; quos cura facrorum

Non prohibet sanctis tura adolere focis.

Nec desint lecto proceres, certo ordine, cultu, 15

Aut fluit ad nitidos queis stola longa pedes.

Hos inter diti insignis TANUCIUS ostro

Incedens, faustis gaudeat ominibus.

Hic pacem Aufoniae, & latis dedit otia campis,

Errent ut tuni per juga laeta boves. 20

Hic turpes secuit nexus, sinuofaque tardi

Vincla fori, & fictos callida ab arte dolos.

Hic